

ANNUAM
Nominis DILECTI Memoriam
VIRI,

*Doctrina, Integritate & omni Virtutum Laude
Florentissimi,*

D O M I N I
DAVIDIS
BRAVERI,

Civis Thorunensis ac Hereditarii in Kasmandorff & Tiliz,


Ipsis Nominalibus

Anno cl^o l^o cc XVIII. tertia Calend. Januarii feliciter
redeuntibus,

Camæna quidem inamæna Musaque saltim vestigali,
demissa tamen mente condecorare voluit,
debut

Clens subjectissimus.

HENRICUS REICHELIIUS.



THORUNII

Impressit Joh. Nic. NOB. SEN. & GYMN. Typogr.



*
* * *
* * *
* * *



Irare forsan, FAVOR & Inclute
PATRONE, multis nominibus mihi
Colende semper, vilioris
[Non nego,) Carminis hujus ansam.

Operta praesertim sacra dum' jugi
Vireta lugent Aonii novis
Eheu! pruinis, atque duro
Flumina frigore nunc rigescunt.

E fonte ubi certe licitum minus
Ulli Caballino bibere amplius,
Musis nec ipsis fas sacratos
More suo latices adire.

Sed dicta paucis Tu memori mea
Notato saltim pectore, quæ suo
Cantu parum quamvis amæno
Nostra Thalia Tibi datura.

Gelu licet stent plurima flumina,
Et rura jam jam claudat Hyems iners,
Horrescat æther, fiat acri
Grandine canus Athon præaltus.

Nunquam tamen lædunt Heliconia
Hæc Tempe, campos frigora quæ premunt:
Phœbi gelu nec luctuosum,
Sistit aquas celebris fluentes,

Sed ver sereno perpetuum sacros
Hic semper hortos lumine vestiit,
Cantus & arguti, sonori,
Hic choreæque vigent honestæ.

Jovis

Jovis nec Ammonis liquor aureus
Liquore dulci Pegaseo fluit
Hem! largior, nec flexuosa
Calliroë aut Arethusa velox.

Non ergo frigent (ingenue loquor,)
Musæ, quibus semper memorabilis
Abundat unda fons, & ampla
Germine prata virent odoro.

Hoc fretus ipso quandoquidem sacri
In monte Parnassi bifido minus
Felix (fatebor,) somniârim,
Experiar tamen, euge! vires.

Illudque tandem sedulus ordiar,
Quod mente firma proposui mihi,
Meique claris ecce verbis
Gaudia pectoris ima prodam.

Ad quæ frequenti (blandior haut Tibi,)
Optata voto denique me vocat
Dies, piè quam fecit Ipse
Bis genitus modo REX oriri.

A Rege nomen quæ dubio procul
DAVIDE ducit Vate perarduo,
Notans DEO *Dilectum* Amicum,
Lingva velut sacra testis extat.

Ast Nomen ullum nobilius dari,
Aut cogitari scilicet hoc Tuo
Ex omnibus, vix credo: causam
Scire cupis? cape, quæso, paucis.

Is qui DEO *Dilectus* Amicus est,
Cujusque vero flagrat & uritur
Amore semper, nemo sane
Hocce beatior orbe vivit.

Felicioer nemo quoque dicier
Vnquam potest hic ex hominum grege,
Vixere quotquot, primo ab ortu
Tempora ad hæc hodierna nostra.

O Te beatum propterea! simul
Felicem & ô Te! ter, quater integro:
Felix, beatus sis in omni,
Quam subis impiger actione.

Amoris olim Te stimulus pii
Voluisse adegit Justitiæ libros
Sacros profanis usque mixtos,
O studium nimium suave!

Mul.

Multo cacumen Pierii jugi
Labore celsum, non etiam minus
Industria tentasti honesta
Scandere, motus amore divo

Mireris ut partim sacra mystica,
Ac *Φύσεως* partim quoque divitis
Rimeris exquisita Juris
Abdita mente sagaciori.

Felix parasti, NVMINE prævio,
Scientiarum denique copiam
Harum, Tuâ quas scire refert,
Ceu patet omnibus hocce, lautam.

Fidelis ergo post studii Tui
Justo feres, hem! tempore præmia,
Quæ nulla consumet rubigo,
Secula nec rapiant futura.

Dilectus autem sis, precor, interim,
PATRONE MÆCENASQUE Tuo DEO,
Dilectus & post sera tandem
Tempus in omne maneto fata.

Suas prius - sed - quam mea Musa nunc
Chordas relaxet, perplacet addere
Solenne votum, quod resultat
Mente (velim, mihi crede,) fida:

Finitur annus præteritus fere
Hac luce *Claro Nomine cum Tuo;*
Ast finiatur, NVMEN oro,
Euge! Salus Tua vera nunquam.

DAVID BRAVERUS.

Per anagr. B. in A. mutat.

Eja! arduus dura.

INter tot casus, inter tot funera mœsta
Haut frangi, SVMMI non nisi minus erit.
Ereptus Pater, heu durum! post Mater amanda
Umbras sub diræ cogitur ire necis;
Ast gravior longe dolor hic, vidisse suavem
Protinus Vxorem fata subire sua.
Quin quod vel rapidis, nequeunt quæ parcere, Pareis
Vnicus avulsus Filius ecce fuit.
Hæc autem refero, non quod fortasse dolorem
Vulnera vel refricem, CLARE PATRONE, Tuas;
Sed modo quod nequeam, tua quos Patientia vincit,
Mirari casus satque superque tuos.
Arduus idcirco, si fert divina voluntas,
Imperium ad Fati, dum sapis, usque file.
Eja! nec & mentem (quia non fas,) abjice, dura,
Fata etenim posthac Te meliora manent.
Interea NVMEN tua dirigat acta Supremum,
CVmqVc noVo anno hoC Dec non nlsI grata tibi.

* * * * *